









78  
Disputatio XV.  
DE BAPTISMO  
ALTERA,  
EX ARTICULO AVGVSTANÆ  
Confessionis Nono.

*Cuius subiectas Propositiones,*  
DIVINA FAVENTE GRATIA,  
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiae  
Doctore & Professore, M. DANIEL FOCHT-  
MANNVS STYRIVS die 27. Iulij in  
Templo Arcis, horis pomeridia-  
nis tueri conabitur,



WITTEBERGAE  
Excudebat Vidua Matthæi  
VVelaci.

ANNO M. D. XCIIII.



# DE BAPTISMO DISPUTATIO ALTERA.

## I.

**D**E Baptismo nuper in genere. Nunc de Pædobaptismo differemus, sintne baptizandi quoque infantes?

2. Augustana Confessio affirmativam ponit, quòd pueri sint baptizandi, qui etiam per baptismum oblati Deo, recipiantur in gratiam.

3. Negativam porro damnat, videlicet Anabaptistarum errorem, qui improbant baptismum puerorum, & affirmant, pueros sine baptismo salvos fieri.

4. Quas affirmati sui rationes & fundamenta habeat Augustana Confessio, dispiciendum est.

5. Et sanè, baptizandos esse parvulos, docet Christus, Ioan. 3. Nisi quis natus fuerit ex A Q V A & Spiritu, non introibit in regnum Cælorum.

6. Quod ne quis de solis adultioribus acceptum existimet, confestim subdit: quicquid ex carne natum est, caro est.

7. Qua sententia, quia causam reddit, cur renasci debeat homo, nempe quia Caro de carne natus, & verò hæc natiuitas de carne in ipsa infantili ætate contingit; palàm est, sub complexu sententia huius comprehendì & infantes, qui Caro de carne nati, indigent ex aqua & Spiritu renasci, quòd labes originalis peccati, ex prima natiuitate contracta, per hanc alteram, que fit per aquam & spiritum eluatur.

8. Sic Matth. 28. precipiens baptizari omnes gentes, nonne & parvulorum, qui ipsi quoque gentes sive gentiles sunt, baptismum liquidò confirmat?

9. Et manifestum est, ex Coloss. 2. baptismum circumcisioni in regno Christi successisse. Iuxta hæc Apostoli verba:  
circum-



circumcisi estis circumcissione, quæ fit sine manibus, dum exui-  
stis corpus peccatorum carnis per circumcissionem Christi,  
consepulti simul cum illo per baptismum &c.

10. Quia verò circumcisi olim fuerunt parvuli: utiq; &  
nunc Sacramento, quod in locum circumcissionis divinitus  
ordinatum est, initiandi fuerint infantes.

11. Cum enim baptismus omnibus, qui nati sunt ex car-  
ne, necessarius sit ad salutem (ut ex ore Salvatoris modò perce-  
pimus) et in Novo Testamento nulla fiat exceptio personæ siue  
sexus, vel etiam temporis (ut quidem in veteri Testamento à  
circumcissione excipiebantur famelle, nec non pueri ante  
octavum diem) ideò statuimus, in omnes absq; discretionem  
sexus infantes in Ecclesia natos, quàm primum lucem hanc  
aspexerint, baptismum conferri licere ac debere.

12. Idem confirmat Paulus Eph. 5 scribens, Christum san-  
ctificasse Ecclesiam suam, mundatam lavacro aquæ per ver-  
bum.

13. Aut enim infantes non pertinent ad Ecclesiam,  
quod dictu prorsus est absurdum, aut iuxta effectum hoc Pau-  
linum lavacro aquæ seu baptismo mudentur oportet.

14. Certum est etiam, his, ad quos fœdus ipsum pertinet,  
signum fœderis negari non posse. Iam cum ad infantes per-  
tinere fœdus gratiæ testetur Deus ipse, inquiens: Ero Deus  
tuus, & Deus feminis tui post te: & Christus spondens, non  
esse voluntatem patris, ut vel unus pereat de pusillis istis: atq;  
rursum dicens: Sinite parvulos ad me venire, nec prohibe-  
te illos: talium enim est regnum cœlorum: consequens est,  
ipsis baptismum, quippe fœderis huiusce signum, negari nullo  
iure posse.

15. Hinc Apostoli non solum adultos baptizarunt, quan-  
do illi verbo Evangelij conversi fuerunt, sed etiam horum li-  
beros, imò ut Apostolorum Acta testantur, integras familias.

A 2 Quod

Gen. 17.  
Matth. 18.  
Marci 10.



Quod exempla domus Lydie; custodis item carceris, Act. 16.  
& Crispi Archisynagogi Act. 18. & Stephane 1. Cor. 1. locu-  
pletissimè contestantur.

16. Hinc Origenes, qui temporibus Apostolorum fuit ad-  
modum vicinus, in 6. cap. Rom. ita scribit: Itaq; & Ecclesia  
ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare ba-  
ptismum. Sciebant enim illi, quibus secreta divinatorum mys-  
teriorum commendata fuerant, quod essent in omnibus ge-  
nuine sordes peccati, que per aquam & spiritum aboleri de-  
berent.

17. Et Augustinus lib. 4. contra Donatistas expressè de  
Pædobaptismo sic scribit: Quod unversa tenet Ecclesia, nec  
concilijs institutum, sed semper retentum est; non nisi Apo-  
stolica autoritate traditum rectissimè creditur.

18. Plena eiusmodi sunt dictorum scripta Patrum, quibus  
de Pædobaptismo testimonium luculentum dicant.

19. Errant igitur Anabaptista, qui baptismum infantibus  
flagitiosè negant.

20. Errant & Calviniani, qui docent pædobaptismum  
omni prorsus regeneratione & fide parvulorum vacuum.

21. Cum verò Sacramenta sine fide utentis non prosint:  
nonne frustraneum & inutilem docent esse baptismum par-  
vulorum absque fide perceptum, atq; sic in ipso fundamento  
idem sentiunt & faciunt cum Anabaptistis?

22. Esse verò parvulos fidei per operationem Spiritus  
sancti percipiendæ capaces, eiusq; revera fieri (non quidem  
ante baptismum, sed in ipso baptismo) participes: scriptura  
nobis indubitatè confirmat.

23. Docet hoc Salvator ipse, Matth. 18. quando non  
infantes adultis, sed hos infantibus similes fieri oportere pro-  
nunciat, si velint regnum cælorum ingredi.

Quod

parvulus fidei & p. r.  
hoc ipse Capulus.



24. Quod pronunciatum absurditate non careret, si infantes, ne per baptismum quidem consequerentur fidem: si quidem ad ingressum regni caelorum absq̄ dubitatione fides requiritur.

25. Ideoque Christus ibidem ait dilucidè: qui offenderit unum de pusillis istis, *QUI IN ME CREDUNT,*

26. Quomodo etiam placerent infantes DEO sine fide? sine qua impossibile est placere Deo, Heb. 11.

27. Quomodo salvari possent absque fide? quandoquidem qui non credit, damnabitur. Marci 16. salvantur autem teste Christo, Marci 16. Itaque segregati sint oportet ex infidelium numero, quibus simul omnibus sententia damnationis decreta est, Ioan. 3.

28. Certè quia in Iohanne Baptista operari potuit DEVS modo extraordinario, ut Spiritu sancto repletur in utero matris suae, & fide donaretur in Salvatore, ad cuius adventum pra gaudio exiliebat: quid ni poterit DEVS eandem fidem (licet non ita se miraculosè proferat) operari per ordinarium lavacrum regenerationis?

29. Quomodo alias regenerarentur infantes, si omni fide manerent vacui? cum nec regeneratio absque fide, neque haec absque illa vel momentum constare queat?

30. Porro argumenta cum Anabaptistarum, tum Calvinianorum, quae hic ab eis obijciuntur, refutabuntur in ipso cursu Disputationis.

31. Ceterum quia nobis circa hanc de parvulorum baptismo questionem ab alijs quibusdam obijcitur, nos negando universalem Electionem omnium HOMINUM, & vicissim statuendo, eos duntaxat esse Electos, qui ad finem in fide perseverant, evacuare Baptismum o-



omni consolatione, ita, ut parentes de suo recens baptizato parvulo non possint indubitanter pronunciare, esse illum è numero Electorum: qua ratione nihil aliud quàm Calvinismus introducatur &c. quid ad hanc accusationem respondendum sit, monenda est studiosa iuventus.

32. *Vt itaq; differentia inter nos & Calvinistas etiam hac in parte ob oculos ponatur: examinemus duas has questiones, de baptizato aliquo infante, quarum prior sit de regeneratione, posterior de Electione & salute.*

33. *Querenti ergò patri aut matri recens baptizati infantis, num hic suus infans verè sit regeneratus? nihil respondere poterit Calvinista, quod ullam consolationem spiraret.*

Beza in  
Præfatione  
Resoonfi  
ad Colloq.  
Mompel.

34. *Quidam enim Calviniani statuunt, in baptismo ne unum quidem regenerari infantem. Eos namq; quos absoluto proposito electos somniant, regenerari dicunt demum, ubi nonnihil adoleverint. Ceteros regenerari nunquam, si vel millies baptizentur.*

35. *Quidam videri volunt asserere regenerationem infantum, sed eorum duntaxat, quos fatali decreto prædestinatos ad salutem autumant.*

36. *Quod decretum, quia ad certas personas, absq; ulla determinatione consideratas pertinere statuunt, ceteris absolutè præteritis, non possunt iam indubitatò asserere, hunc vel illum infantem certò esse in baptismatis sacro regeneratum: siquidem renaſcentiæ donum ad solos illos absolutè prædestinatos spectare contendunt.*

37. *Nos verò, quia tabulas illas fatales Calvinisticas novimus esse purum putum commentum, nec ullum hominem à salutifera Dei electione seclusum dicimus, præter hos solos, qui ipsi sese propria culpa (neglectu vel contemptu mediocrum salutis) à gratia Dei exclusuri erant: respondere possumus parentibus, quod de sui infantis modò baptizati regeneratione*



ratione ne tant illum quidem dubitare debeant; id quod superiore disputatione fusius persecuti sumus.

38. Porro si amplius querat pater; anne hic infans meus certò salvabitur? & estnè ex electorum numero? alia hæc iam est questio: ubi sic respondendum est, ne vel contradicamus scripturis, vel ad Calvinisticæ blasphemie scopulos impingamus.

39. Itaque sic respondebimus: Est hic infans tuus iam certò in statu salutis, idq; adeò indubitanter, ut si contingat illum mori in infantia, priusquam malitia pervertat intellectum ipsius, indubiè consequatur æternam beatitudinem, & omninò sit ex salvandis & electis. Id quod nullus Calvinistarum affirmare potest, qui blasphemus suo dogmate predestinationis absolute ceu fascino dementati, parvulos baptizatos, etiam cum in infantia moriuntur, non certò sed probabiliter duntaxat, ex Electorum & salvandorum numero esse constituunt.

40. Iam si de infante ad adultiore[m] ætatem progressuro quaratur, sitne futurus ex salvandorum seu (quod in Theologia Christi & Pauli idem est) electorum numero? Necessariò ex hypothesis respondendum erit, si videlicet gratiam acceptam non proiecerit, si se non averterit à sancto precepto semel tradito, si manserit in veritate, si in bonitate perstiterit, si initium substantiæ ad finem usque firmum retinuerit, si certamen bonum decertaverit, cursum consummaverit, fidem servaverit, si, ut Christus ait, ad finem usque perseveraverit.

2. Cor. 6.

2. Pet. 2.

Ioan. 8.

Rom. 11.

Heb. 3.

41. Definitur enim, ut salus ipsa, sic & electio ad salutem, hypothesis perseverantiæ hominis, quæ quidem Deo ab æterno est nota, ideoq; secundum hanc præcognitionem ab æterno facta prædestinatio. Ephes. 1.

42. Ad hanc verò perseverantiã nos, iubente Christo, contendere decet in tempore gratiæ, hoc est, uti medys ad  
excitant-



excitandam confirmandam & alendam in nobis fidem desti-  
natis, orare Deum pro dono perseverantiae, resistere Satanae  
& mundo virtute spiritus, quem in baptismo accepimus, &  
ut Apostolus loquitur, operari salutem nostram cum timore  
ac tremore: atq; sic operam dare, ut vocationem & electio-  
nem nostram firmam faciamus.

4.3. Tale responsum nullus omnium Calvinistarum ex  
sua doctrina fundamentis proferre poterit: siquidem ipsam  
quoque perseverationem in bonitate à fictitio suo decreto  
Stoico sic docert esse suspensam, ut qui non absolute sit in Dei  
consilio electus, is nunquam ad fidem pervenire, nedum in  
ea ad finem usq; perseverare valeat.

4.4. Cum itaque nemo non rectè indicans apertè videat  
immensum discrimen inter nostram & Calvinistarum ra-  
tionem consolandi parentes, de regeneratione, electione &  
salute parvulorum suorum: rogamus eos, qui nos Calvinismi  
in hac causa damnare conati sunt, ut memores sint manda-  
te divini: non dices falsum testimonium adversus proxi-  
mum tuum. Exodi 20.

F I N I S.





AB 61 430

ULB Halle

3

002 694 131



SK









Disputatio XV.  
DE BAPTISMO  
ALTERA,

EX ARTICULO AVGVSTANÆ  
Confessionis Nonno.

*Cuius subiectas Propositiones,*

DIVINA FAVENTE GRATIA,  
PRAESIDE ÆGIDIO HUNNIO, S. Theologiæ  
Doctore & Professore, M. DANIEL FOCHT-  
MANNVS STYRIVS die 27. Iulij in  
Templo Arcis, horis pomeridia-  
nis tueri conabitur,



WITTEBERGÆ  
Excudebat Vidua Matthæi  
VVelaci.

ANNO M. D. XCIII.

